



# **Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum**

**Simonnet, Edmond**

**Venetiis, 1731**

Resp. Unicus est Deus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

## PROPOSITIO VII.

*Summa necessitate existit Deus.*

*Prob.* Ens quo nihil melius cogitari potest, summa necessitate existit (ex p. 6.) Sed Deus est ens quo nihil melius cogitari potest (ex p. 1.) Ergo Deus summa necessitate existit.

SEXTA DEMONSTRATIO.  
*petita ex hoc mundo visibili.*

## PROPOSITIO I.

*Hic mundus visibilis non est à se.*

*Prob.* Nam si esset à se, vel esset à se quoad omnes partes, ex quibus constar, vel quoad aliquas tantum. Neutrum dici potest. Non primum, ut experientia quotidiana demonstrat. Non etiam secundum, ut facile ostenditur: idem iudicium esto de omnibus aliis mundi partibus, ac de sole, qui inter omnia entia purè materialia principem locum facile obtinet. Atqui sol non est à se. Ergo nulla alia huius mundi visibilis partes sunt à se. Major negari non potest. Nam si inter huius mundi partes, quas esse à se suspicari possemus, nobilissima non est à se, infanum esset id de alijs asserere.

*Prob. ergo min.* Si sol esset à se, non esset ratio, cur potius existeret in hac mole, quam in alia maiore, in hoc loco potius quam in alio, puta infra Saturnum potius quam supra, in motu potius quam in quiete, vel in hoc motu potius quam in alio velociore. Gratis enim diceretur ex eo, quod esset à se, habere necessitatem existendi in hac mole potius quam in alia, in hoc loco, aut in hoc motu potius quam in alio. Nam manifestum est, aëritatem ex se non magis exigere hanc molem, quam aliam maiorem, hunc locum, quam alium superiorem, hunc motum, quam alium velociorem. Absurdum cons. Nam aliqui sol nunc existeret in hac mole, in hoc loco, in hoc motu, & simul non existeret. Existeret, ut revera certò & evidenter novimus existere. Non existeret, quia ex se non magis exigeret existere, quam non existere; nec aliunde haberet, unde determinaretur ad existendum. Ergo manifestum est, solem non esse à se, sed habere causam, à qua productus est, & productus conservatur in hac mole potius quam in alia maiore vel minore, in hoc loco potius quam in alio superiore vel inferiore, in hoc motu potius quam in alio velociore vel tardiore.

## PROPOSITIO II.

*Hic mundus visibilis non est à casu.*

*Prob.* Quia si hic mundus visibilis est à casu, certè quia ex fortuito partium materiæ concursu coaluit. At hoc nec dici, nec cogitari potest ab homine sanæ mentis. Et verò si quis est, qui hoc dicat, vel cogitet, tam, imò multò magis insanit, quam qui diceret, aut cogitaret, Illiadem Homeri ex characterum, aut exquisitam picturam ex colorum fortuito concursu coalescere potuisse, & coaluisse; ut facile intelligit, quisquis attendit ad huius mundi partium multitudinem, varietatem, pulchritudinem, dispositionem, proprietates, harmoniam, &c.

Praeterea, Materia illa, ex qua constar hic mundus visibilis, vel est creata, vel increata. Non potest dici increata; alioqui haberet ex se summam necessitatem existendi: quod est evidenter falsum. Nam si habet, vel præcisè quia est ens, vel quia est tale ens, hoc est materia. Non primum. Nam ratio entis ut sic non importat necessitatem existendi: alioqui nihil existeret sine summa necessitate existendi. Non secundum. Nam evidenter repugnat perfectionem maximam, qualis est summa necessitas existendi, radicari in esse imperfectissimo, quale est esse materiæ, & ab eo fluere. Ergo materiæ fuisse creatam fateri necesse est. Ergo perpetuam & insanè recurritur ad casum, & fortuitum concursum partium materiæ. Nam

ab eo, à quo materia creari potuit, potuerunt à fortiori partes ejus combinari & conjugari, quomodo illas combinatas & conjugatas videmus. Ad creationem enim materiæ longè excellentior potentia, quam ad partium ejus combinationem & conjugationem, etiam qualem videmus in hoc mundo aspectabili, requiritur.

## PROPOSITIO III.

*Hic mundus visibilis est ab opifice quodam, eoque summa quadam sapientia, potentia, bonitate prædito.*

*Prob. 1. pars.* Nam hic mundus visibilis vel est à se, vel à casu, vel ab opifice quodam. Non est à se (ex p. 1.) non est à casu (ex p. 2.) Ergo est ab opifice. 2. *pars.* Nempe quod hic opifex præditus sit summa quadam sapientia, potentia, bonitate, &c. patet ex tanta illa universi partium multitudine, varietate, dispositione, ordine, tanta in procurando hominis bono consonantia & concordia. Ergo datur Deus. Nam nomine Dei, sapientissimum illum, potentissimum, optimum, munificentissimum opificem intelligimus. Hanc totam demonstrationem paucis verbis eleganter concludit S. Augustinus, lib. 11. de civ. Dei c. 4. *Mundus ordinatissima sua mutabilitate & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus, & factum se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno, & ineffabiliter atque invisibiliter pulchro, fieri se potuisse proclamat.*

## ARTICULUS IV.

*Utrum unus tantum sit Deus.*

**N**Ota. Contra unitatem Dei senserunt varii, & 1. quidam Gentiles, qui multos deos coluerunt. 2. Cerdoniani à Cerdone sic nominati, qui duo propugnabant principia sibi adversantia, nempe Deum Legis ac Prophetarum, quem justum & severum, non bonum, esse aiebant; & Deum patrem Christi, quem dicebant bonum & benignum esse. 3. Marcionistæ, sic dicti à Marcione, qui duos asserbant deos, unum bonum, & alterum malum, cui huius mundi visibilis productionem attribuebant. 4. Appellitæ, quorum princeps fuit Appelles, Marcionis discipulus, quocum duos asseruit deos: unum bonum, & alterum malum; sic tamen, ut vellet, teste Augustino, unum esse principium alterius, nempe bonum mali, & ita contra magistrum suum negaret duo principia. 5. Valentiniani, ita appellati à Valentino, qui triginta deos, sive æonas commentus est. 6. Manichæi, sic dicti à Manete, qui huius Sectæ præcipuus author fuit. Asseriebant duo principia inter se diversa atque adversa, eademque æterna & coætæna, quorum unum bonorum, alterum malorum Deus esset; dualque propugnabant naturas & substantias, boni scilicet & mali. 7. Trichæistæ, qui tres personas divinas non solum personalitate, sed etiam natura & substantia dividebant, & ita tres contendebant esse Deos. Contra hos omnes sit

## RESPONSIO.

Unicus est Deus.

*Prob. 1. ex Scriptura.* Deut. c. 4. dicitur: *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum.* Plal. 85. *Tu es Deus solus.* 1. Cor. c. 8. *Scimus... quod nullus est Deus, nisi unus.* 2. Authoritate omnium virorum, doctrina & pietate illustrium, quotquot existerunt ab instituta Religione Christiana, imò universi penè orbis, quem Apostoli, & eorum Successores à vana plurium deorum Religione ad unius Dei cultum traduxerunt. 3. Iisdem omnino argumentis & motivis, quibus evidenter demonstratur veritas Religionis Christianæ, cujus præcipuum dogma est, quod unicus sit Deus. Quæ argumenta & motiva suo loco afferentur & exponentur.

4. Hac ratione. Deus est summum magnum. Sed unicum est summum magnum. Ergo unicus est Deus. *Prob. min.* Si multiplex esset summum magnum, summum magnum haberet æquale. Atqui evidenter repugnat summum magnum

magnum habere æquale, ut patet ex terminis. Ergo, &c. Hac demonstratione Marcionem urget Tertullianus l. 1. adversus eundem c. 3. Deum, inquit, ut scias unum esse debere, quere quid sit Deus, & non aliter invenies. Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definio, quod & omnium conscientia agnoscat, Deum summum esse magnum... Cum de isto conveniat apud omnes: nemo enim negabit Deum summum magnum quid esse, nisi qui poterit Deum imum, modicum quid è contrario pronuntiare, ut Deum neget, auferendo quod Dei est. Quæ erit jam conditio ipsius summi magni? nempe ut nihil illi adequetur, id est, ut non sit aliud summum magnum; quia si fuerit, adequabitur; & si adequabitur, non erit jam summum magnum, eversa conditio, & ut ita dixerim, lege, quæ summo magno nihil finit adequari. Ergo unicum sit necesse est, quod fuerit summum magnum, par non habendo, ne non sit summum magnum... Proinde Deus cum summum magnum sit, recte veritas nostra pronuntiavit: Deus si non unus est, non est. Non quasi dubitemus esse Deum, dicendo: Si non unus, non est Deus: sed quia, quem confidimus esse, idem definimus esse... Porro summum magnum unicum sit necesse est: ergo & Deus unicus erit, non aliter Deus, nisi summum magnum; nec aliter summum magnum, nisi parem non habens; nec aliter parem non habens, nisi unicus fuerit.

Quibus verbis Tertullianus, ut probet Deum unicum esse, ita ut vel unicus sit, vel nullus planè sit Deus, duo assumit. 1. Deum esse summum magnum, idque adeò constans & manifestum esse, ut absque evidenti contradictione negari non possit ab eo, qui Deum existere confitetur. Cum is, qui agnoscat Deum existere, & tamen negat Deum summum magnum quid esse, simul affirmet ejus existentiam, & essentiam ejus neget: quod est, simul affirmare & negare Deum esse. In quo est manifesta contradictio. 2. Summo magno nihil adequari posse, proindeque summum magnum unicum esse: quia si multiplex esset, unum esset æquale alteri, & ita idem simul esset, & non esset summum magnum. Quod evidentem implicat contradictionem. Ex quibus evidenter sequitur, unicum esse Deum, sic ut vel non deatur Deus, vel non nisi unus deatur.

5. Denique demonstratur sic. Deus & Ens, quo nihil melius cogitari potest, convertuntur, ut manifestum est ex dictis Articulo superiori. Atqui unicum est ens, quo nihil melius cogitari potest. Ergo unicus est Deus. *Prob. min.* Ens, quod tale est essentialiter, ut non solum sibi ad existendum sufficiat, sed etiam cetera omnia entia ipso indigeant ad existendum, unicum est. Atqui tale est essentialiter ens, quo nihil melius cogitari potest. Ergo, &c. Major constat ex terminis. Nam si multiplex esset ens ejusmodi, unumquodque simul esset, & non esset id, quo cetera omnia indigerent ad existendum. Nullum enim ex illis ad existendum alio indigeret. *Prob. ergo min.* Ens, quo nihil melius cogitari potest, est essentialiter id omne, quod evidenter relucet in ejus idea. Atqui in idea entis, quo nihil melius cogitari potest, evidenter relucet esse id, quod non solum sibi ad existendum sufficit, sed etiam ceteris omnibus entibus causa est existendi, ita ut nullum aliud ens sine ipso ut producente & conservante existere possit. Ergo ens, quo nihil melius cogitari potest, tale est essentialiter, ut non tantum sibi sufficiat, sed etiam solum sibi sufficiat ad existendum, ita ut cetera omnia ad existendum ipso indigeant. Major per se constat. Quidquid enim relucet in idea rei, est ipsa res. Unde principium illud, quod à multis ut primum recipitur: Illud omne de re qualibet prædicari potest, quod evidenter continetur in ejus idea. Minor verò facile ostenditur. Nam in idea entis, quo nihil melius cogitari potest, necessario includitur omnis perfectio, melior ipsa quam non ipsa, hoc est, quæ melior est quacumque alia, quacum incompossibilis est: alioqui ens illud simul esset & non esset ens, quo nihil melius cogitari potest. Esset quidem, ut supponeretur. Non esset, quia posset cogitari aliquid melius, illud scilicet, quod haberet omnes ejusmodi perfectiones. Atqui esse id, quod sibi sufficit, & quo cetera omnia indigent ad existendum, sunt perfectiones maximæ, meliores ipsa quam non ipsa. Non

Simonet Theol. Tom. I.

enim est excogitabilis alia melior vel æqualis perfectio, quam excludant. Ergo, &c.

*Obj.* Mysterium Trinitatis harum demonstrationum vim planè elidit. N. Cum enim tres personæ divinæ eandem numero naturam & substantiam habeant, non possunt facere, nisi unum ens supremum, unum summum magnum, unum ens, quo nihil melius esse vel cogitari potest, unum supremum rerum dominum, unum primum principium rerum omnium. In divinis, Pater quidem est summum magnum: Filius est summum magnum: Spiritus Sanctus est summum magnum. Nec tamen sunt tria summa magna, sed unicum summum magnum. Quia Pater est summum magnum per idem numero, quo Filius; & Spiritus Sanctus est summum magnum per idem numero, quo Pater & Filius. Breviter, summum magnum, quod essentialiter unicum est per exclusionem omnis alterius naturæ & substantiæ, quæ sit etiam summum magnum, est ens unum in substantia, & trinum in suppositis, quæ sunt illud unicum summum magnum per unicam numero naturam & substantiam, tribus communem: quanquam hæc Trinitas in idea summi magni ita confusè contineatur, ut in ea, ante revelationem tanti Mysterii, ab intellectu creato deprehendi non possit. Porro quæ hic adhuc opponi possent, solvemus, ubi de Divinitate trium personarum agemus.

## ARTICULUS V.

Utrum Deus possit ignorari invincibiliter.

*N.* Ignorantia alia est vincibilis, alia invincibilis. Vincibilis dicitur, quæ vinci potest adhibita morali diligentia, & cum ordinariis auxiliis gratiæ: invincibilis verò, quæ non potest. Utraque subdividitur in negativam & positivam. Negativa consistit in mera carentia cognitionis, ut si quis præcisè nesciat Deum esse: positiva verò præter carentiam cognitionis, dicitur iudicium erroneum, ut si quis positivè judicet Deum non esse.

## RESPONSIO I.

Non potest dari ignorantia Dei positiva, quæ sit invincibilis.

*Prob.* Ignorantia Dei positiva est actus, quo quis judicat Deum non esse. Atqui nemo ratione utens potest invincibiliter judicare Deum non esse. Ergo, &c. Major patet ex not. *Prob. min.* Nam nemo ratione utens potest judicare Deum non esse, quin simul formidet de opposito, propter motiva judicandi Deum esse, quæ tunc menti non possunt non occurrere. Præterea, Deum non esse judicans cum formidine oppositi, tenetur veritatem inquirere, ut per se patet: illam enim formidinem non potest nisi imprudentissimè contemnere. Denique in investiganda veritate adhibendo moralem diligentiam, notitiam Dei infallibiliter consequeretur, vel planè convincentem & demonstrativam, vel saltem probabilissimam & moraliter evidentem. Ergo, &c.

*Obj.* Si ita est, non dantur veri Athei. *Conf.* est contra Scripturam. Nam Psal. 13. dicitur: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* In corde suo, hoc est, in mente sua: est enim hic Hebraismus, & cor pro mente sumitur. Ergo, &c. *R. N.* seq. majoris. Nam aliqui re ipsa, & quidem serio & ex animo judicant Deum non existere, ut patet ex Scriptura citata. Quamvis enim facile convincerentur saltem moraliter, rationibus, quæ probant Deum existere, re ipsa tamen non convincuntur, vel quia nolunt, vel quia non curant ad rationes illas attendere, dum interea se totos addicunt sophismatibus, quibus ad judicandum Deum non esse, moventur. Hic autem error in Atheis graviter culpabilis est, quia planè vincibilis: Deum enim non existere, non judicant absque oppositi formidine, quam imprudentissimè contemnunt; & si utriusque patris, ut graviter tenentur, momenta expendere, adhibita morali diligentia, Atheismum nullo rationabili fundamento niti, certo certius deprehenderent; & Deum esse, facile colligerent ex

A 4 prin-